Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1755
Quelle:
Copyright:

fectum finitum est proxima feria VI. ante wenceslaij, Sub Anno domini millesimo quadringentesimo Tricesimo Nono. Adjunctum hic fuisse videtur Autoris Nomen, cui eraso invidus quidam superinduxit: *Compilator ignoratur*, fortasse, quod *Vulcanum* metueret *Hussitarum* Scriptis olim fine discrimine imminentem, ut plurium *Codicum* exemplo doceri posset.

CCCCXLVI.

486 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 262. 4. sat bene scriptus et rubricis enotatus est *Summa* quaedam Theologica absque Titulo et Autoris nomine in *Alphabetum* digesta, cujus primus Articulus est *Absolutio* et initium, ut sequitur: *Absolucio dicitur tripliciter scilicet Absolucio auctoritatiua. que soli deo convenit. Absolucio denunciatiua ex officio que sacerdotibus limitatur. Et Absolucio dispositiua, qua quis disponit se per veram contritionem ad soluendum propria vincula peccatorum* &c. Ita deinceps *Abstinentia. Abusiones duodecim. Acceptio Personarum. Accidia. Accusatio* &c. Textibus Scripturae, Juris Canon. et Patrum sua stabilit Adserta Noster. Recentissimos citari video *Hugonem Victorin.* et *Robertum Lincoln.* illum XII. hunc XIII. Sec. Scriptorem, quin et *Doctorem evangelicum*, quo nomine apud *Bohemos* sibi adhaerentes *Job. Wicleffus* fuit. Cujus itaque Scholae fuerit, patet ex Articulo de *Ecclesia*, ubi: *Ecclesia katholica est congregacio fidelium predestinatorum et iustificatorum.* Item: *Ecclesia militans est corpus predestinatorum dum hic viat ad patriam.* Quae Sententia est inter *Job. Hussi* damnatas in Synodo *Const.* Similia observes in Artt. *de triplici Mendicatione* et *de Papa.* Ad calcem:

Fructus adest operis mercedem christe dona laboris
Nomen scriptoris si tu cognoscere uelis
Ma tibi sit primum thy medium asque ymum.

Si *то Scriptoris* denotaret ipsum hujus Summae Compilatorem, suspicari quis posset, *Mathiam* hunc esse a *Panow*, *Lanow*, seu *Janow* Theologum *Pragensem* a 9. in Academia *Parisina* exactis annis dictum *Parisiensem*, de quo *Lupacius* in *Ephem.* ad diem 30. *Novembr.* et *Balbinus Bob. doct.* P. II. p. 177. Quem Virum quamvis et posterior hic et secundus Editor ejus Catholicis accensere conentur, haeret mihi tamen in Professione Fidei M. *Johannis Przibram* apud *Cochlaeum Hist. Hussit.* p. 540. *Articulus* L. in quo *M. Mathiam M. Johanni Huss* conjungi video. Quoniam vero in *Summa* nostra non semel citatur *Parisiensis*, ultra suspicionem supra motam vix quoquam progredi fas erit,